

Eccle. 10.

ipsam & populus eorum sequatur exemplum; totus, si adveniret, futurus erat armatus, non in sponsa defensionem, sed in majorem ejus spoliationem, & ideo neminem appellat, ne plures contra se haberet latrones, & hostes. Qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in ea, Eccles. 10. num. 2.

QUAESTIO V.

Quomodo prenditur Ioannes, qui est Christi vox, cum verbum Dei non sit alligatum?

24. Timoh. 2. n. 6. Chrysol. Ambros. Anselm.

At Apostolus in sua 2. ad Timoth. 2. n. 6. Verbum Dei non est alligatum. At Baptista erat vox Dei, quomodo ergo vinculis astringitur? Et genuinus Pauli sensus est, ut explicat D. Chrysol. D. Ambrosius, D. Remigius, D. Anselmus, quod quamvis Paulus alligaretur ac includeretur in carcere; tamen, verbum Dei alligari non poterat: nam inde scribebat, docebat, ac praedicabat: Verumtamen in mystico, ac morali sensu rem investigemus.

25. Basil.

Respondeo primò Joannes vox Dei, quæ insonuit per vastissimum eremum, ac totum Judææ regnum adimplevit, scilicet verbum Dei non sit alligatum, in parvo tamen carceris loco ab ini-quo Rege constringitur. D. Basilus Seleucus Orat. 18. Herodianis affectibus pro armis usus diabolus, viam aperit ad Baptistam mortem. O pulchrè excogitatum à diabolo insaniam! Carnificem statuit in Joannem Regem ipsum. Vidit hominum quidem dominatorem esse Herodem, affectuum vero servum. Vidit diabolus Herodem indomita cupiditate exagitari, ac suorum affectuum vile esse mancipium, per ipsum parat carcerem, & necem in Baptistam Dei clamantis vocem, quæ quamvis alligari non possit, tamen accensa Regis cupiditas, tyrannide insolescens, ipsa potestate innixa, impossibilia tentat, & inaccessa audet & vocem clamantem in carceris barathro includi praesumat. Vide lib 2. c. 4. num. 54. & cap. 8. num. 12.

Regis cupiditas impossibilia praesumat.

26. Chrysol.

Secundò eleganter D. Chrysologus serm. 127. Qui vincula, ait, solverat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, ut vincula venia locum venia non relinquat. Ex alto Dei judicio Joannes Dei vox qui omnes vocabat ad poenitentiam, quæ à peccatorum vinculis solvebantur homines, Regis iniqui, ac peccatoris vinculis astringitur, ut ita ipsi sit omnis venia alligata, & tantum irremediabilis interitus preparatus. Aliquando Dei Sacerdos, ac Pontifex, qui peccatorum vincula solvit, peccatoris Regis vinculis alligatur, ipse miserabili ruina absque venia perimatur; nulli enim rigidiori supplicio perire, quam Core, Dathan, & Abiron, quos vivos devoravit terra, quia contra Moysen, & Aaron Sacerdotes Domini conspirarunt, Numer. 16. num. 30. Qui enim Sacerdotes contemnit, in omne malum prolabitur. Unde ait Divus Cyprianus Epistol. 66. ad Florentium. Unde schismata & heresis oborta sunt, & oriuntur. Dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesia praest, superba quorundam praesumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur.

Cypr.

Tertiò Augustinus in Psalm. 115. ad illa ver-

ba: Ego autem humiliatus sum nimis, ita ait, Cur addidit Propheta: Ego autem, nisi quia homo humiliari potest ab eis, qui veritati contradicunt; non ipsa veritas, in quam credidit, & loquitur? Unde Apostolus cum de catena sua diceret: Sed sermo, inquit, Dei non est alligatus. Joan. persona carcere alligatur, & constringitur, non tamen ipsa vox clamantis; nam de carcere praedicabat, docebat, ac discipulos suos ad Christum destinabat, ut ab eo in veritate instruerentur. Ita D. August. cit. Psalm. 115. n. 1. quo Psalmographus ait: Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis, ubi ait, quod ipsemet Regius Vates humiliatus est, non tamen veritas, quam credidit, & loquitur D. Augustinus. Iste, quia est una persona, sanctorum testium, hoc est martyrum Dei. Credidi, inquit, propter quod locutus sum: Ego autem: non illud, quod credidi; non sermo, quem protuli; sed ego humiliatus sum nimis.

27. August.

28. Predicator alligari poterit: ejus tamen veritas minime. Psalm. 115.

August.

28.

Act. 21.

Chrysol.

Cum Paulus esset Jerosolymis in conventu Judæorum duabus catenis astrictus, ac ligatus, ascendens in loco sublimiori, stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio factò, allocutus est, Act. 21. num. 40. & habuit satis largum sermonem. Adhuc, Paule, catenis vincus non desinis loqui ad populum; imo ut melius ab omnibus percipiatis, altiore scandis locum? Alligatus erat Paulus, verbum tamen Dei alligatum non erat. Unde ait D. Chrysolomus homil. 47. in Acta Apostolorum. Quid huic spectaculo par eras videre? Paulum duabus catenis ligatum concionantem? Quomodo non turbatus est, quomodo non confessus est, totum populum exasperatum videns adsistente praeside? Et ita multa verba habuit, maxime concitatum contra se Judicum populum valde timens.

QUAESTIO VI.

Quare inter Herodem, & Herodiadem tanta in nomine convenientia?

Germanam hujus rei rationem dixi jam supra num. 5. Quia iste Herodes erat filius Herodis Judæi, & ab ipso parente ita nuncupabatur. Herodias verò nepos exiititavit ipsiusmet Herodis Judæi; ac proinde nomine ab avo ita dicebatur. Tamen moraliter inquirimus, cur hæc duo luxuriae mancipia tam similia nomina habeant inter se, ac veluti uno nomine dicantur Herodes & Herodias? Ad quod

29. Genuina

lucio.

Respondet primò Divus Chrysologus sermone 173. Sociatur, inquit, Herodi Herodias, ne essent vel nomine dissimiles, qui erant scelere, moribus, vitæque consimiles: & jungerentur vocabulo, quos criminum junxerat turpitudine. Semper enim vitæ turpitudine, laici de similes, vitas morum suos alumnos consimiles facit, ut inter se arctissimo vinculo associantur tam vitæ petulantia, quam nomine, & vocabulo, ut vix unam ab altero discerni possit. Duo Diaboli membra armantur contra populum Israëliticum, cum per desertum accederet, scilicet Rex Balac, & Balaam, Numer. 22. num. 5, ut ita maledictionibus, ac insidiis suis totus demoliretur, ac consumptus esset Israël. Sed cur vocantur Balac,

30. Chrysol.

Iniqui val-

ac associat.

Carthuf.

31. Fulgent.

Ubi aequale erime aequale est pena.

1. Reg. 2.

Gregor.

32. Innoc. III.

Balac; & Balaam? ut advertit Carthusianus, ut quos malitia conjunxerat nomine non discreparent.

Secundò D. Fulgentius serm. 7. de Joanne, ita loquitur. Dicite mihi, quid habetis cum Joanne Baptista Herodes, & Herodias, quos ad consortium adduxit nominum impuritas criminum? An timetis, qui vobis vocabulis conjungimini in luxuria, forsitan separemini, estote certissimi, qui sicut uno consensu caditis in luxuriam, ita uno nomine suscipietis sententiam. Notate ultima verba, Ad quid commune nomen in eis? Quia sicut in obscenis luxuriae associabantur, ita sub uno damnationis nomine in supplicio maxime convenirent: Ita uno nomine suscipietis sententiam. Quibus enim aequale scilicet crimen, non dissimilis est poena. Turpissimis vitis licentiosè vivebant filii Heli. Accipiebant carnes in templo; antequam Domino offerretur sacrificium, indulgebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium Tabernaculi, & tandem omni violentia opprimebant Israël. Eorum supplicium denuncians Propheta Domini suo parenti Heli: Hoc erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Opni & Phinees, in die uno morientur ambo, 1. Reg. 2. num. 34. Cor simul uno die, & non diversis temporibus? Cur simul eadem morte, & eodem bello cadant? Quia cum eorum peccatum esset simultaneum, supplicium disjungendum non fuit; qui enim aequali peccato simul delinquebant, aequali simul supplicio pereunt. D. Gregorius, prout in his duobus filiis considerans duplicem gradum antiqui Sacerdotii: ita fatur eodem loco. In duobus filiis Heli geminum Sacerdotii veteris ordinem ostendimus designari: qui velle in una die mortui sunt, quia simul in Redemptoris morte conveniunt.

Hanc rem multiplex exemplo confirmat Innocentius III. lib. 2. de contemptu saeculi cap. 23. de luxuria differens. Hæc, ait, Pentapolim cum adjacente regione subvertit, Gen. 19. num. 24. Sichimitas raptotes Dinæ cum populo interemit, Genes. 34. num. 25. Her & Onan filios J. da im mundos percussit, Genes. 38. n. 7. J. dæum, & Madianitidem pugione transfodit, Numer. 25. num. 8. Tribum Benjamin pro uxore Levitæ delevit, Iudic. 20. num. 37. Filios Heli in bello prostravit, 1. Reg. 4. num. 11. Ammon in convivio interfecit, 2. Reg. 13. n. 28. Uriam occidit, 2. Reg. 11. num. 17. Presbyteros lapidavit, Daniel. 13. n. 61. Ruben maledixit, Genes. 35. num. 22. & Genes. 39. num. 4. Samson seduxit, Judic. 16. num. 19. Salomonem pervertit, 3. Reg. 11. num. 1. Hæc multos vulneratos dejecit, & fortissimi quoque interfecti sunt ab ea, vix inferi domus ejus penetrantes in interiora mortis, Ita Innocent. In quibus multa enumerat exempla, in quibus ob eadem peccata eadem poena infligitur.

Marci. 6. num. 18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

VERSIONES.

Syriacus.

Non licet tibi ducere uxorem fratris tui.

Eusebius Galli Non licet tibi uxorem fratris accipere fratri. can. hom. 2. de Joanne Bapt. tris.

ALTER TEXTUS.

Matth. 12. n. 4. Idem ferè ut Marcus.

EXPOSITIO.

Mira cum modestia Regi loquitur Joannes sine improprio, solius scilicet amore, non ex se, sed ex lege, potius monens de veritate, quam corripiens. Quod eleganter ponderavit Chrysolomus homil. 29. in 2. Epistol. ad Corinth. Non enim, inquit, dixit, Sceleris, pollute, & pravaricator, ac prophane, conculcasti Dei legem, contempsisti, quæ statuta sunt; potentiam tuam legem fecisti: nihil horum, sed etiam in reprehensione apparuit multa mansuetudo viri, ac mitis. Dixit enim: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, erat enim verbum magis docentis, quam reprehendentis. Eadem cum modestia Sacerdos Azarias reprehendit Regem Oziam, Sacerdotale officium usurpantem: non exaggerat crimen, sed tantum sacrilegium proponit. Non ex, inquit, Ozia, tui officii, ut adoleas incensam Domino, 2. Paralipom. 26. num. 14. Joannes cum ad Pharisæos loquitur, gemina viperarum vocat, Luc. 3. num. 7. honori verò regali deferens nil simile dixit, sed tantum simpliciter: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, Petri 2. num. 17. Regem honorificat. Et dicit ei. Non licet tibi habere uxorem; Cum ipse esset alienigena. Ad quod optime respondet Albertus Magnus: Quia contra omnem legem naturalem est, habere uxorem alterius. Vt servare legem, quamvis ipse esset Idamaus foris legem Dei assumpserat. Vel quia praelatus populi Dei existens, legis formam servare debuit, quandiu praesuit. Et adulterium semper prohibitum fuit gravissimis poenis & legibus à Romanis, Persis, ac omnibus nationibus, ut latè intendunt Tiraquellus in comment. de legibus consub. lib. 13. n. 3. Menochius de arbitrariis, lib. 2. cent. 5. casu 419. ubi satis latè rem tractat. Uxorem fratris tui, Non licet tibi habere uxorem alienam, fratris tui, quia dum crimen committitur in fratrem, maxime aggravatur ejus malitia. D. Basilus Seleuc Orat. 18. Fratris autem, inquit, appellatio per medias incedens injurias scelus angebat aulterii novo sceleris, & injuria accessione cumulatatur injuria. Auger enim injuriam cognatio. A quo enim natura debita expectabatur benevolentia, apud eum majora sunt quæ accusantur crimina.

33.

Chrysol.

2. Paral. 26.

Luc. 3.

1. Petr. 2.

Alber. Mag

Presul debet

servare le-

gem.

Tiraq.

Menochi.

Basil.

Injuria in

fratrem

gravior.

QUAESTIO VII.

Quare Herodes publice arguatur à Joanne?

Poterit in doctum revocari, an Joannes manifestè, vel secretè reprehenderit Terrarcham. Pro secreta admonitione stat Divus Chrysologus serm. 127. Pro publica objur-gatione pugnant D. Chrysolomus homil. ad populum 1. Videt Antiochenus, Abulensis cap. 14. Matthai, quest. 15. in corpore: Tamen

34.

An manifestè,

vel se-

cretè fuerit?

Chrysol.

Chrysol.

Vi& Ant.

Abulens.

E 4

proba

probabile, quod prius fuerit Herodes privatim admonitus: & cum ad depravatam muliere noluerit divelli, publice in eum invehitur Baptista. Et forsitan hoc intendit sententia D. Chrysol. *cit. serm. 127.* ait, enim, *Agit, ut te habeat confusio publica, quem corrigere non potuit secreta correctio.*

23. Hujus publicæ correctionis causas inquirimus, cum videamus sæpe in scripturis Reges ob mulieres secretè fuisse admonitos, ut Abimelech ob Saram in somnis. *Genes. 20. num. 3.* & David ob adulterium Bersabæ. Ita ibi denotat Scriptura, de Nathan ait: *Cum venisset ad eum, dixit ei, 2. Reg. 12. n. 1.* Septuaginta: *Ingressus est Nathan ad David. D. Anastasius Nyssenus quæst. 5. in Scripturam,* ex Eusebio Pamphilo expendit verbum *ingrediendi*, tanquam in aliquo loco occulto Regi peccatum suum objecit. *Ostendit, ait, oratio, quod non presente alio, neque coram universo populo eum redarguit.*

36. Ob quatuor principia publicè oburgatur Herodes. Primò ob Joannem. Secundò ob Herodem. Tertio ob civitatem. Quarto ob ipsummet peccatum, quæ breviter ostendo.

37. Primò ob Joannem: nam ipse magnus prædicator Baptista patenter aliorum peccata publica reprehendebat, ita enim appellaverat Phariseos *genimina viperarum.* Luc. 3. num. 7. Ne ergo Joannes videretur acceptor personarum, ac Herodianam insolentem purpuram formidare, qui aliorum iniquè facta coram populo arguebat, Herodis incestum non dissimulat, sed prophanter redarguit. Dicebat Paulus de se, ac suis coadjutoribus: *Christi bonus odor sumus, 2. Corinth. 2. n. 15.* Quia sicut odor æqualiter ad omnes partes se diffundit, ita prædicator ad omnes sit æqualis. Ait Isaias *Va mihi quia tacui, Isai. 6. num. 5.* hoc est, ut explicat Divus Hieronymus *Quia Oziam non reprehendi.* Isaias frequenter arguebat populum, tamen non reprehendit Ozam Regem delinquentem, ideo statim de se ait: *Vir pollutus labiis ego sum. D. Hieronymus in Epist. 141. ad Damasum,* ita fatur, *Isaias quantum ego arbitror, quia Oziam in templo irruentem non corripuerat, nec juxta Eliæ exemplum libera voce impium designarat, labia habebant immunda.*

38. Secundò Publica fit reprehensio ob ipsammet Herodem: nam hic Tetrarcha, ut est probabile, prius fuit secretè admonitus, & postea patenter argutus ut ait D. Chrysol. *cit. Agit, ut te habeat confusio publica, quem corrigere non potuit secreta correctio.* Sic enim obdurata Herodis natura occulta admonitione non emollescit, publica correptione oburgandus est, ut ad emendationem trahatur: nam multoties peccator à suis ausibus respicit, non tantum ut peccati malitiam effugiat, sed potius ut ignominiam, coram hominibus evadat. Secundò Abimelech & David ex humana sunt fragilitate prolapsi, & ideo prima admonitione abhibita statim à peccatis desistere. At Herodes obfirmata malitia persistit in suis peccatis; nam multis correctionibus impetitus, nunquam melior est effectus. Et sicut ille, qui audita voce emendatus benignè recipitur, ita qui nullis increpationibus mitescit, severa est objurgatione conculcandus. Delinquit Judas Christum tradens, delinquit Petrus Dominum negans: hic veniam invenit, ille verò minimè. Petrus ex fragilitate, timiditate que pro-

lapsus, una galli voce percussus ingemuit, & in lachrymas prorupit. At Judas cum consilio Judæorum obdurato corde persistens, multis Domini verbis à sua malitia non frangitur. Dixerat Dominus: *Unus vestrum me traditurus est, Matth. 26. num. 21.* Qui intiguit mecum in paropside, hic me tradet, ibidem num. 23. *Va autem homini illi, per quem filius hominis tradetur.* ibidem 24. Ideo Judas venia indignus, quam impetrat Petrus. Hanc proditoris impudentiam multis expendit Divus Leo serm. de Passione. *Tu abuteris Domini patientia, & abscondi te tua credis audacia. Ad dis impudentiam sceleris, nec signo evidentiore terveris.*

Tertio. Ob regiam curiam publicè arguitur Herodes, D. Basilus Seleucus orat. 18. *Videns inquit, Baptista, eremi civis, temperantia epifex, reginam libidinis, administram contra dignitatis, & naturam rationem debacchantem; hac, inquam, videns, rursus quas olim voces in eremo secerat, repetebat, Vox clamantis in deserto.* Cum Joannes viveret in eremo, testificabatur de se, quod esset *Vox clamantis in deserto;* Modò in regali civitate, ac totius regni capite eandem vocem repetit *Vox clamantis in deserto,* quia cum vidisset laiciviam ibi grassantem ac debacchantem, non curiam hominibus frequentatam, sed desertum omnino vacuum reputavit. Luxuria civitates devastat, regna ab hominum concursu evacuat, & omnia in desertum, ac solitudinem convertit. Ait Oseas Propheta cap. 7. num. 4. *Omnes adulterantes, quasi cilibanus succensus à coquente. Theodoretus sic legit. Omnes adulterantes quasi cilibanus ardens in devastationem flamma.* Septuaginta: *ad coquendum devastationis à flamma.* Luxuria, ac adulterii ardor, veluti hostilis ignis omnia devorat, & exedit, ac minimè quiescit, donec omnia in devastationem tradantur, Theodoretus ibi. *In devastationem flamma, id est, libidinis ignis hostilem flammam in eas infert.*

Quartò. Peccatum erat publicum, & in omnium ore versabatur: quandiu enim peccatum secretum, ac occultum est, poterit dissimulari, ac peccator privatim est admonendus; cum autem peccatum propalatur, ac in forum prodit, publicè est arguendum, ac puniendum. *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, & vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te. Luc. 16. n. 2.* Hic homo erat Deus, cui abscondita cordis sunt manifesta, antequam fiant. Cur ergo ubi primum villicus scelera commisit, non advocat ad se, sed cum famæ rumor increvit, tunc accessit villicum, tunc arguitur, ac punitur? Quandiu enim peccatum fuit absconditum, potuit dissimulari, ac ita se habebat Dominus, ac si illud minimè sciret: ac cum peccatum evulgari cœpit, tunc patenter arguitur, ac prophanter punitur. D. Chrysol. serm. 125. *Quasi, inquit, non prescierit, quasi non prœviderit, cui occulta nota sunt, cuius oculis illa nuda sunt etiam, que teguntur. Et hic diffamatus est apud illum: ergo ille fama credidit, fama nuntiatæ cognovit? Absit. Sed quia ille, que nuperat, que pietate velabat, querere tunc cepit, quando accusabas terra.*

Chrysol.

2. Reg. 12. Septuag. Anataf. Pamph.

Luc. 3. Prædicator æqualis ad omnes.

2. Cor. 2.

Isai. 6. Hieron. Prædicator vitia Regum non dissimulat. Hieron.

Chrysol. Peccator aliquando emendatur ob peccati ignominiam.

Peccata ex fragilitate venia digna, non verò que ex malitia.

Marth. 26.

Leo.

39. Basil.

Luxuria civitates devastat. Ose. 7.

Theodor. Septuag.

Theodor.

40. Peccata publica, non dissimulanda, sed arguenda.

Luc. 16.

Chrysol.

QUÆSTIO VIII.

Quare Ioannes reprehendat Herodem, quem sciebat, reprehensione non futurum meliorem?

41. D. Thom.

Conveniens Theologi cum D. Thoma 2. 2. quæst. 33. art. 1. & 2. quod correctio tunc est adhibenda, cum datur spes futuræ emendationis: nam ad opus inutile nemo tenetur. Atqui incorrigibilis animus Herodis facile deprehendebatur, tum quia sæpè admonitus erat; & tamen nunquam destitit. Quomodo ergo ipsum corripit Joannes, quem incorrigibilem agnoverat?

42. Marc. 6.

Respondetur primò. Correptionem Joannis erga Herodem non fuisse inutilem, & absque fructu; nam, ut testatur noster Evangelista Marcus hoc cap. 6. num. 20. *Herodes metuebat Joannem, sciens eum virum justum, & sanctum: & custodiebat eum, & audio eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Ergo prædicator Joannis Herodi non erat absque fructu; nam eo audito multa faciebat, & sperari poterat quòd ab incestu emendaretur; quia nullus est adeò iniquus, cuius talis sit omnino desperanda, ut monet D. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei, c. 11.

Nullus adeò iniquus, cuius salus sit desperanda.

August.

43. Peccata publica à prædicatoribus arguenda.

Bannez. Tolet. Reginald. Bonacina.

Secundò. Quamvis Joannes sua admonitione nihil efficeret, quantum ad missionem uxoris, fratris, non propterea ejus prædicator sine fructu existimari potest. Maximè enim considerandum est Concionatoribus divini verbi, publica peccata, præcipuè Principum, vehementer arguenda esse, etiam si certò agnoscat, ipsos emendandos non esse; tum ne ceteri scandalum patiantur, sibi persuadentes, aut prædicatores timiditate quadam propulsari, ut obmutescant; aut illorum iniqua facta probare; tum etiam, ut alii à consimilibus flagitiis refrænentur, dum vident talia crimina tam graviter oburgari in Principibus, ac magnatibus. Et enim satis vulgaris doctrina, ut docent Bannez 2. 2. quæst. 33. art. 6. Toletus in c. 3. Luca annot. 4. Reginaldus lib. 4. cap. 25. n. 33. Bonacina tom. 2. disp. 1. de charitate, quæst. 4. punct. 1. n. 7. 6. Secundò limita. Correptionem ornittendam esse, quando utilitas correpti non speratur, nisi quando peccatum in aliorum damnum vergit, aut quia aliis est occasio ruinæ, quia licere putant, quod non licet in his enim casibus ob commune bonum correptio est facienda. Ne ergo Joannes videretur timidus, aut probare incestum Herodis, aut dare ausam aliis ad consimilia, Herodes ab eo reprehendus maximè fuit.

44. Cyrill.

Tertio D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Theophrastor. cap. 4. pulchram excogitavit hujus rationem. *Conqueriebantur Judæi, inquit, de Ianne Baptista, quòd auctoritate sua, illi, scilicet Christo, faveret qui legalem doctrinam everteret, ut ipsi putabant. Quid igitur ad hæc Ioannes? Legi propugnare, ne Mosaicam doctrinam contemneret videretur. Idque vel ad repellendam, vel mitigandam suspicionem de se Indæorum fecit: non quia magni hoc ipse existimaret, sed ut testimonium suum de Christo credibilem apud eos fieret. Quamvis igitur tunc multis multis, variisque prævarica-*

Ioannes volebat audire sibi benevolos fieri.

ventur, Herodem tamen solum, qui Princeps erat redarguit, ut periculo suo ad benevolentiam sui Judæos revocaret, & credibilior apud eos fieret: nam quasi pro lege pateretur, faciliores ad credendum ei fiebant: ita morte sua ceteris prodesse studebat. Adversabantur Judæi Christo Domino falsò dicentes, quòd ipse erat legis transgressor. Et ideo testimonium, quod Joannes de Christo dabat, Judæis erat invisum. Ut ergo Joannes eorum benevolentiam conciliaret, & ejus testimonium, ac prædicatoris eis ingrata non esset, ideo de incestu lege prohibito Herodem graviter redarguit; quamvis Joannes bene sciret, quòd ex hoc mors occasionanda foret: tamen etiam, ut Judæis proficeret, qui cum viderent Joannem pro defensione legis morientem, sibi persuaderent, Christum, de quo ipsemet Joannes testimonium dabat, legi non esse contrarium: tantus enim legis zelator, qui illius observatione moriebatur, inimico legis non faveret. Ac proinde divinus Baptista sua eximia charitate, morte sua ceteris prodesse studebat.

Sicut enim Baptista aliquid cum Christo simile habuit, ut docent Divus Ambrosius serm. 12. de Ambros. Eusebius Gallicanus homil. 2. ita etiam in morte ab aliquali similitudine non discrepavit: nam Christus mortuus est, ut morte sua omnium salutem proficeret; Joannes etiam sua morte studebat ceteris prodesse, ut sinistram de Christo Judæi opinionem deponeret. De Joanne ait Dominus: *Erat lucerna lucens, & ardens, lucens nobis.* Baptista, ut nobis luceret, omnesque illuminaret per fidem ac doctrinam veram, tanquam lucerna semetipsum consumebat, ac interitui dabat.

Magni fuere Ecclesiæ proceres; tamen aliquando aliquid sui quæsiere. Petrus ait: *Quid ergo eris nobis? Filii Zebedæi cathedras quarunt, Matth. 20. num. 11.* Et omnes tandem Apostolici viri perfectissimi quarunt alimenta, & quibus tegantur, his contenti sunt, ut ait Paulus 1. ad Timoth. 6. num. 8. Joannes pro sua charitate ardentissima omnium oblitus, quæ sui erant, totos in aliorum salutem, fructumque penitentia erat intentus. D. Bernardus serm. de Nativitate Baptistæ, *In novo homine, inquit, penitentia mirare fervorem, Vitium, & vestitum, ait Apostolus 1. Timoth. 6. habentes, his contenti sumus. Apostolica perfectio ista est. Sed Joannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in Evangelio, Matth. 11. Venit, inquit, Joannes, non manducans, nec bibens, planè nec vestiens. Sicut enim non est locusta cibus, nisi forte aliquorum irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Absque vestitu, & cibo erat Joannes transcendens perfectionem Apostolicam, & totus in fervorem intentus, ut homines reduceret ad penitentiam, non quæ sibi, sed quæ aliis proficerent, quærebat. Bene ait de se ipso: *Ego vox clamantis in deserto, Joan. 1. n. 23. Vox,* ut notat noster Lusitanus Hieronymus Orosius in cap. 40. Itaiæ, non ad loquentem, sed audientes fertur, & dirigitur. Bene ergo Joannes vox qui magno charitatis impulsu totus ordinabatur, ac ferebatur ad hominum salutem, eos illuminando ad fidem, vocando ad Christum, & excitando ad salutares penitentia fructus. Ita ait D. Ambrosius sermo-*

Baptista ob obritatem sua morte aliis prodesse volebat.

45. Euseb. Gall. Joannes aliquid cum Christo simile habuit.

Joan. 5. Alb. Mag.

46.

1. Timoth. 6.

Bernard.

Joannes transcendens perfectionem Apostolicam.

Joan. 1.

Ambros.